

debeat, nisi de dicto tempore trium annorum. ¶ Preterea volumus quod, si aliqua decima investita fuerit per aliquam personam ecclesiasticam sive secularem alicui persone, illa persona cui fuerit investita uti possit dicta decima secundum iura sua.

¶ Item quod quelibet persona que habitat in civitate Tergesti 5 in aliqua domo ad locum et larem cum familia sua, dare debeat et teneatur decimam pro lare domus sue habitationis tempore vindemiarum persone seu personis cui vel quibus pertinet dicta decima seu illis quibus essent dicte decime investite, et persona dans dictam decimam dicto tempore vindemiarum potest dare pro decima predicta illam quantitatem 10 vini que sibi placuerit persone habere debenti dictam decimam, et ultra id quod datum fuerit pro dicta decima tempore predicto non potest peti, et ¹⁾ pro eo quod peteretur non audiat sed potius absolvatur.

¶ Item quod, si qua persona dare teneatur decimam alicui tam pro lari domus sue habitationis quam alio titulo, sive venditionis sive alio quocunque iusto titulo sive iure, et talis persona dederit seu presentaverit decimam persone habere debenti tempore solvende dicte decime, non teneatur ab inde in antea alteri persone requirenti et petenti dictam decimam dare nec solvere aliquid pro dicta decima. 20

¶ Item quod quelibet persona, que habere debeat aliquam decimam ab aliqua persona pro lari domus sue habitationis, si aliqua quantitas vini magna vel parva tempore vindemiarum eidem presentata fuerit per personam dare debentem, sive aliam personam nomine ipsius, ipsam quantitatem vini 25 pro ipsa decima recipere teneatur.

¶ Et si talem quantitatem vini sic presentatam recipere recusaret, // quod persona dare debens decimam non teneatur solvere persone petenti nisi quantitatem vini primo presentatam sibi.

¶ Et si aliqua persona dare debens decimam pro lari domus sue alicui persone 30 (et) ipsam decimam eidem habere debenti non dederit sive presentaverit tempore vindemiarum, quod elapso dicto tempore vindemiarum dare debeat et teneatur domino ipsius decime rectam decimam vini, scilicet de singulis decem urnis unam 35

¹⁾ Aggiunta marginale.